

» tuant; si vero reditus divisi fuerint, ac separati, divisionem  
» fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter  
» ratione fructuum. VI. Quod si constet, Episcopum, qui per  
» translationem duabus ecclesiis successive præfuerit, comparasse  
» sibi omnia sacra utensilia redditibus tantum unius ecclesiæ, nulli  
» divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam  
» cathedralem tantum spectabunt illius diœcesis, ex cuius episco-  
» palis mensæ proventibus fuerint acquisita. Hæc volumus et  
» mandamus.... Datum Romæ die 1 junii 1847 » (1).

Notandum est 1º, quamvis Episcopi facultate testandi a Sede Apostolica donati fuerint de bonis ex redditibus ecclesiasticis acqui-  
sitis, inter hæc tamen bona non comprehendendi sacra utensilia: ejus-  
modi enim utensilia propria manent ecclesiæ, cui præfuit Episcopus;  
nisi forte-necessaria sint ad solvenda debita, quæ Episcopus defunc-  
tus contraxit (2).

Notandum 2º quoad statum præsentem ecclesiarum Galliæ, Belgii  
et similium regionum, pensionem Episcopis a gubernio attributam  
rationem induere redditus ecclesiastici, et proinde utensilibus ex  
hujusmodi pensione comparatis, applicandam esse citatam consti-  
tutionem Pii IX; cum autem lex civilis, si Episcopus ab intestato  
moriatur, plures hujusmodi res hæredibus attribuat, concludendum  
esse, Episcopis incumbere obligationem, præcavendi per testamen-  
tum aliudve medium idoneum, ne ecclesia cathedralis suo jure  
fraudetur, et prædicta constitutio violetur (3).

## CAPUT XIX.

## DE VICARIO CAPITULARI.

## § 1. Quando vicarius capitularis eligendus est.

I. In litteris Apostolicis SS. D. Pii IX *Romanus Pontifex* 1873  
haec habentur: « Juxta antiquam ecclesiæ disciplinam, sede epis-  
copali vacante, diœcesis administratio ad capitulo cathedralis  
ecclesiæ devolvitur; quod olim per se ipsum diœcesim, toto  
tempore, quo sedes vacabat, administrare poterat, vel uni aut

(1) Acta Sanctæ Sedis 1867, vol. 3, fol. 279.

(2) Acta S. Sedis loco cit. fol. 242.

(3) Bouix de capitulis p. 3, cap. 1, § 2.

» pluribus diœcesim administrandam committere, libera eidem  
» reicta potestate deputatos eligendi, eisque deligatam jurisdic-  
» tionem, sive quoad usum, sive quoad tempus arctandi et cons-  
» tringendi.

» At vero Concilii Tridentini Patres animadvertisentes gravis-  
» sima, quæ passim oriebantur incomoda ex administratione  
» viduatæ ecclesiæ cœtui personarum diversi fere ingenii concre-  
» dita, ad ea vitanda sapienter decreverunt, ut *Capitulum, sede*  
» *vacante, Officiale seu Vicarium, infra octo dies post mortem*  
» *Episcopi, constituere, vel existentem confirmare omnino*  
» *teneatur* » (1).

II. Vicarius igitur capitularis infra octo dies post mortem Epis-  
copi eligendus est. Quod in Concilio Tridentino statuitur de sede  
vacante per mortem Episcopi, communiter intelligitur de vacatione  
per translationem, renuntiationem aliamve causam (2). Quando octo  
illi dies incipiunt, dictum est cap. XVIII, § 1. Dies procul dubio  
intelliguntur completi, ita ut, si Episcopus obierit initio primæ diei  
mensis, integra dies octava ejusdem mensis comprehendatur; et  
modo capitulo vicarium elegerit ante finem diei octavæ completæ,  
valida sit electio, quia fit *infra octo dies post mortem Episcopi*,  
uti Concilium statuit.

III. Ex particularibus circumstantiis expedire potest, quod vica-  
rius capitularis quam primum constituatur; intra octo vero dies  
capitulo non arctatur ad constituendum vicarium, sed electionem  
usque ad ultimam diem differre potest, et interim per seipsum  
administrare valet, ut dictum est cap. XVIII, § 2, ad III (3).

IV. Infra octo autem dies vicarius capitularis eligendus et consti-  
tuendus est; ita ut capitulo ultra octo illos dies diœcesim per  
seipsum administrare nequeat; sicut doctores textum Concilii Tri-  
dentini ita communiter intelligunt, et intelligendum declararunt  
variæ decisiones S. Congregationum (4).

V. Si electio invalida judicata fuerit, decurrente autem adhuc  
termino octo dierum, infra quem electio alias a capitulo rite fieri  
posset, electio non devolvitur ad Metropolitanum (5); sed capitulo

(1) Sess. XXIV, cap. XVI de reformat.

(2) Bened. XIV de Syn. lib. 2, cap. IX, n. 2; De Angelis, Prælect. jur. can.  
lib. 1, tit. XXVIII, n. 17.

(3) Barbosa de canonis cap. 42, n. 31; Scarfantonius lib. 4, tit. VII, anim. 4.

(4) Ita Bouix p. 5, cap. VI; Hermes lib. post s. 1, cap. III.

(5) S. C. C. 6 Junii 1739, § 7, *Bitun*, apud Zamboni tom. 4, *Vicarius capitu-  
laris* § 1.

novam electionem instituere valet, ac si alia facta non fuisset, modo fiat ante finem octo dierum post mortem Episcopi.

VI. Unus est casus, in quo capitulum procedere nequit ad electionem Vicarii capitularis, videlicet quando vicarius generalis seu Apostolicus Episcopo a Sede Apostolica vel a Sacra Congregatione datus fuerat: tunc hic vicarius, defuncto etiam Episcopo, officium et jurisdictionem retinet, adeoque vicarii capitularis electioni locus non est, ut declaravit S. Congregatio Episcoporum 4 Augusti 1578 in *Aquilana*, et 22 Decembris 1628 in *Liciensi*. Et idem generaliter obtinet, quando est vetitum Apostolicum sive expressum sive tacitum per appositionem manus de non procedendo ad deputationem vicarii capitularis, eo quod aliter velit Summus Pontifex prvidere, vel jam providerit vacanti ecclesiæ (1).

### § 2. Qualis Vicarius capitularis eligendus est.

I. Concilium Tridentinum sess. XXIV, cap. XVI de reform. statuit, ut « Capitulum, sede vacante.... officialem, seu vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur; qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus: si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur, etc. » Requiritur igitur, ut vicarius eligendus sit doctor vel licentiatus in jure canonico, et alias, si doctor vel licentiatus non detur, quantum fieri poterit, idoneus. Quæ qualitas doctoratus vel licentiatus exigitur tam in vicario existente Episcopi defuncti, si confirmetur, quam in novo, qui nunc constitutus, ut liquet ex pronomine *qui*, quod certe refertur ad immediate antecedentem, qui est vicarius existens. Vox *saltem*, quæ additur, adhibetur relative ad eos, qui graduati erant in civili simul et canonico jure, quales Concilii Tridentini tempore plerique erant doctores: vult enim Concilium, ut vicarius capitularis, si in utroque jure doctor non sit, in canonico saltem gradum doctoratus vel licentiatus obtineat.

Requiritur igitur, ut vicarius capitularis sit doctor vel licentiatus in jure canonico (2), promotus in publica universitate, auctoritate

(1) De Angelis, *Praelect. jur. can. lib. 1, tit. XXVIII, n. 17*; Devoti, *Instit. canonic. lib. 1, tit. III, § 63*.

(2) S. C. C. 9 Sept. 1594, *Melphien*, apud Zamboni *Vicarius capitularis* § 1, n. 5; 20 Nov. 1728, *Gerun.* § 2, apud Zamboni tom. IV, *Vicarius cap.* § 1.

Pontificia erecta (1); ita ut non sufficiat, neque valeat doctoratus in jure civili (2), aut in aliis scientiis (3), neque collatus ab Imperatore aut ab alio auctoritatem a Sede Apostolica habente, neque ab universitate sola auctoritate civili instituta (4); neque etiam sufficiat doctoratus in theologia. Etsi enim S. C. Congregatio censuerit, cautius esse deputari doctorem in jure canonico, doctorem tamen in theologia in vicarium capitularem deputari posse (5); postea tamen declaravit, electionem vicarii capitularis de doctore in theologia non esse validam, si in capitulo aliquis existat doctor vel licentiatus in jure canonico (6). Ratio est, quia bona et justa dioecesis administratio scientiam juris ecclesiastici requirit; et ita doctoratus in aliis scientiis, etiam in sacra theologia, non habetur in consideratione, ut notat Cardinalis de Luca (7).

II. Capitulares igitur quemcumque in vicarium capitularem pro libito eligere non possunt; sed regulam et ordinem a Concilio praescriptum servare tenentur: ita ut non nisi subsidiaria censeatur facultas eligendi non doctorem, quatenus nempe vel doctores desint, vel necessaria desideretur in ipsis idoneitas atque prudentia. Alternativæ siquidem dictiones in Concilii textu ordinem inducunt, non optionem, ita ut ad secundam alternativæ partem devenire non possit capitulum, nisi in subsidium et defectum primæ. Unde:

1º Invalida est electio non doctoris, si in capitulo idonei habentur doctores (8), non obstantibus contrariis, quæ afferuntur, decretur

(1) S. C. C. 7 Junii 1636, dub. 3, *Vicentina*; 21 Feb. 1682, *Clusina*; Bouix p. 5, cap. XI, n. V.

(2) S. C. C. 13 Feb. 1672, dub. 1, *Majoricen*, apud Zamboni *Vicarius capitularis*, § 1, n. 27.

(3) S. C. C. 28 Nov. 1673, dub. 1 et 2, apud Zamboni ibidem n. 30.

(4) S. C. C. 19 Januarii 1664, *Montis regalis* apud Zamboni ibidem n. 20.

(5) 11 Julii 1626, *Asten*; 24 Mart. 1627, *Oriolen*, apud Zamboni *Vicaris capit.* § 1, n. 8 et 10.

(6) S. C. C. 19 Jan. 1636, *Capuana*; 13 Jul. 1669, dub. 1, *Tirasonen*; 13 Feb. 1672, dub. 1, *Majoricen*, apud Zamboni ibid. n. 12, 23 et 27.

(7) Annotations practicæ, discursu 31, in fine lib. XIV; Bouix loco cit. n. III et IV.

(8) S. C. C. 1575, dub. 3, *Panormitana*, apud Zamboni *Capitulum ecclesiast.* § IX, n. 3; Decemb. 1586, *Triventina*; Feb. 1590, dub. 6, *Tarraconen*; 8 Juni 1595, *Cotronen*; 7 Junii 1636, dub. 4, *Vicentina*; 4 Ap. 1637, *Campanien* 9 Nov. 1662, *Salernitana*; 18 Aug. 1668, *Lancianen*, apud Zamboni *Vicarius capit.* § 1, n. 2, 3, 6, 14, 15, 19, 21; 17 Sept. 1768, § 6, *Recineten*, apud Zamboni tom. 4, *Vicarius capit.* § 1. Ita communiter etiam doctores, Pignatell, Cardi-  
tom. VIII, consult. 34; Lueren. tract. de capit. sed. vac. c. 4, quæst. 557; Cardi-

tis (1), quia agunt de casibus, in quibus inter canonicos unicus erat doctor, vel soli doctores in philosophia aut theologia, vel in quibus ex specialibus circumstantiis electio non doctoris a Sede Apostolica confirmata est : ex quibus non recte inferretur, electionem non doctoris, prætermis doctoribus idoneis in capitulo existentibus, esse legitimam et validam; sed per auctoritatem Apostolicam suppleri id, quod in electione incaute et illegitime factum fuerat, eamque nunc legitimam habendam esse.

2º Conclusio præcedens est, si in capitulo habeantur doctores idonei; si autem in capitulo unicus tantum existat doctor juris canonici, isque idoneus, hic in vicarium capitularem necessario eligendus est juxta S. C. C. 3 Jul. 1679, dub. 1, *Ecclesien* (2) : attamen Cardinalis d'Andrea (3) sic scribit : « Quod asserunt recentiores quidam auctores de necessitate eligendi doctorem, ne secus electio invalida sit, etsi unus dumtaxat adsit in capitulo, nec menti Tridentinorum Patrum nec juris eligendi naturæ videtur congruere, eoque minus praxi S. Congregationis. Id enim voluisse presumendum est amplissimum illum EE. Patrum consessum, ut scilicet diœcesis regimen ei concrederetur a capitulo, quem præ aliis scientia, prudentia et probitate præstantiorem agnosceret; hoc enim suadet gravissimum tanti muneris officium. Quod fieri non posset, si doctor unicus existens necessario deberet eligi, cum exinde facultas non esset capitulo, eligendi merita, ac majorem idoneitatem perscrutandi atque librandi. Quæ quidem interpretatio magis magisque confirmatur ex natura electionis. Ut enim hæc congrue valeat exerceri, necesse est absolute, ut libertas seu latitudo quædam adsit unum eligendi inter plures, haud saltem pauciores quam duos. Quod si unicus doctor existens ex necessitate deberet eligi, actum esset de libertate electionis. Propterea que merito concludi posse videtur, capitulo haud cogi doctorem assumere, si unus dumtaxat existat ». Testatur deinde idem Cardinalis d'Andrea,

nalis de Luca discursu 31 in fine lib. XIV; Monacelli adnot. ad formulam 2, tit. 1, n. 12; Cardinalis d'Andrea in voto ad causam *Caurien et aliarum* 25 Jan. 1862; Bouix de capit. p. V, sect. 1, cap. XI; Hermes cap. VI, § 1.

(1) 22 Sept. 1714 in *Carinolinen*; 14 Januarii 1736, in *Leopolien*, 14 Ap. 1764 in *Tubertina*; 24 Nov. 1764 in *Sorana*.

(2) Bouix de cap. p. V, sect. 1, cap. XI, n. VII. De Angelis Prælect. jur. can. lib. 1, tit. XXVIII, n. 19; Maupied, juris canon. univ. compendium p. 3, lib. 4, s. 2, c. 3, § 3, q. 2, n. 2.

(3) In voto ad causam *caurien et aliarum*, dubia elect. Vic. capit. 25 Januarii 1862, Thesaur. resolut. tom. 121, p. 14.

sententiam hanc confirmari per plura S. C. C. decreta, in quibus vel electio non doctoris, legitima reputata fuit, unico posthabito doctore (1); vel unici doctoris querela aut deputatio, jure devolutivo a Metropolitano facta, rejecta est (2). Eamdem opinionem defendit Cardinalis de Luca (3) : « Deputandus est vicarius, qui ad minus in jure canonico doctor sit seu licentiatu, sin minus (quoties in capitulo ita graduati existant in aliquo cempententi numero, intra quem electionis libertas congrue exercibilis remaneat) deputatio invalida pluries per S. Congregationem declarata est; secus autem si in capitulo graduati non adsint in dicto numero, intra quem dicta libertas cadat, quamvis in civitate vel diœcesi graduati idonei existant, quoniam potest quidem capitulo aliquem ex eis depudare, sed non tenetur, ideoque unum de capitulo, quamvis non doctorem, tali casu licite deputare potest » (4).

3º Si in capitulo nulli adsint doctores, nec licentiatu in jure canonico, Congregatio S. C. (5) censuit « electionem vicarii non » doctoris a capitulo, sede vacante, factam, esse nullam, si alii « extra capitulo doctores idonei, ut proponitur, existebant » (6). Nihilominus Cardinalis de Luca contrariam defendit opinionem, ut liquet ex loco supra allato. In pluribus etiam decisionibus S. C. C. necessitas eligendi doctorem eo tantum casu urgetur, quo in capitulo idonei adsint doctores. Sic in *Triventina* expresse declaratur, eligendos in vicarios doctores aut licentiatos, *si qui sint in capitulo, sin minus sufficere, ut quantum fieri poterit, idoneus eligatur* (7). In particularibus tamen casibus ob speciales circumstantias adesse potest obligatio eligendi doctorem extra-neum; extra hos autem sufficere videtur, ut capitularis, quantum fieri potest, idoneus eligatur. Certum vero est, si doctor aut licentiatu non reperiatur in capitulo, neque in civitate et diœcesi, tum eum quærendum non esse extra diœcesim aut alia regione, tum

(1) 22 Sept. 1714 *Carinolinen*; 24 Nov. 1764, *Sorana*.

(2) 8 Julii 1702, in *Atiphana*; 23 Feb. 1709, *Acernen*; 11 Sept. 1717, *Nazarena*.

(3) Annotat. ad Conc. Trid. disc. 31, n. 11.

(4) Hermes, *Dissertatio historico-canonica de capitulo cap. VI*, fol. 116 et seq. *Revue théol.* 1862, fol. 233, n. 10.

(5) 20 Dec. 1592, *Tranen*.

(6) Item 11 Maij 1624, *Hortonen et Camplen*, apud Zamboni, *Vicarius capit. § 1, n. 4 et 7*.

(7) Dec. 1586. Item 7 Junii 1636, *Vicentina*, dub. 4; 4 Ap. 1637, *Campanien*; 9 Nov. 1662, *Salernitana*; 18 Aug. 1668, *Lancianen*, apud Zamboni *Vicarius capitul. § 1, n. 2, 14, 15, 19, 21*.

quia officium Vicarii capitularis requirit, ut loco saltem opportunamente resideat, tum quia Concilium, si hoc opus fuisset, frustra addisset vel alias idoneus, cum doctores et licentiati alicubi semper inveniendi sint.

III. Vicarius generalis Episcopi defuncti, an eligendus est? Eligi potest, et eligendus probatur a Concilio Tridentio per verba *Vel existentem confirmare*, quia nullus alias magis idoneus esse potest, ad diocesim administrandam, quam ipse vicarius generalis Episcopi defuncti. Eligi tamen non debet, quia Concilium disjunctive loquitur: *Vel vicarium constituere vel existentem confirmare*. Oportet tamen, ut vicarius generalis sit doctor vel licentiatus in jure canonico, ut supra notatum est, et uti S. C. C. declaravit (1): ita ut vicarius generalis Episcopi defuncti, qui non est doctor nec licentiatus, in vicarium capitularem eligi nequeat, nisi in capitulo doctores aut licentiati idonei non reperiantur (2).

IV. Idoneus eligendus est vicarius capitularis, ut constat ex Concilio Tridentino, quod statuit, ut in jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit, idoneus, ubi, ut liquet, haec qualitas idoneitatis etiam exigitur in doctore et licentiato; ita ut ipsa requiratur, sive sit doctor, sive licentiatus, sive non graduatus. Necesse est, ut scribit Scarfantonius (3), quod doctores sint idonei, quia idem est, non adesse doctores, ac non esse doctos, et doctor ignarus perinde est ac nullus. Ac proinde si in capitulo adsint doctores prorsus imperiti, potest capitulo, iis praetermissis, alium idoneum extra gremium eligere, vel etiam non doctorem, sed alioquin idoneum ex eodem gremio capituli. Item ut pergit Scarfantonius, ultra qualitatem doctoratus debet spectari idoneitas ad munus recte exercendum, videlicet pietas et prudentia, et in rebus agendis dexteritas; et non potest assumi, qui fuerit aliquo crimine notatus, vel excommunicatus, suspensus aut interdictus (4), nec qui populo foret inquisitus. Qualitas doctoris mere extrinseca est, quae haud semper scientiam secum fert, eoque minus eam probitatem, prudentiam et idoneitatem muneris

(1) 4 Ap. 1637 in *Campanien*, apud Zamboni *Vicarius capitul.* § 1, n. 15.

(2) Barbosa de canonic, cap. 42, n. 50; Bouix p. V, sect. 1, cap. XII, n. VIII; Cardinalis d'Andrea in 1, quæst. causæ *Caurien*. 25 Januarii 1862; Hermes loco cit. fol. 113.

(3) Lib. IV, tit. VII, animadv. 42 et seq.

(4) S. C. C. 21 Nov. 1721, *Turritana*, apud Zamboni *Vicarius capit.* § 1, n. 56-58.

exercitio tantopere necessariam. Aque hinc nihil magis menti Tridentinorum Patrum adversari videtur, quam si eligatur ad diocesis gubernium, qui vel doctor sit nomine tenuis, vel doctor equidem quoad scientiam, at non idoneus sive quoad mores, sive quoad prudentiam, omisso altero, qui licet extrinseca doctoris qualitate destitutus, certe tamen præstaret prudentia, scientia, morum probitate, sicut perpenditur adamussim in *Recineten* (1). Nullatenus ergo, quamvis magnus sit numerus doctorum in capitulo existentium, ex eis aliquis eligendus est in casibus, quibus ex una alterave causa doctores illi non sunt idonei; et ad hos casus procul dubio referendæ sunt plurimæ S. C. C. resolutiones (2), quæ non obstantibus doctorum querelis, electionem vicarii non doctoris confirmarunt (3).

V. Ad idoneitatem præterea requiritur ætas conveniens, saltem viginti quinque annorum, si haberi possit; et alias eligi potest in ætate viginti trium annorum, si sit idoneus, licet non semper expedit (4).

2º Requiritur ut sit clericus. Quum nulla extet lex ecclesiastica generalis, quæ præscribit, ut vicarius capitularis in majoribus vel minoribus ordinibus constitutus esse debeat, sufficit ut deputetur tonsuratus (5).

3º Ut sit legitimus (6).

VI. An vicarius capitularis assumendus est de gremio capituli? Ad hoc prænotandum est, hanc quæstionem institui non posse quoad vicarium generale Episcopi, etsi sit extraneus et etiam non canonicus, quia a Concilio Tridentino assumendus approbatur. Extra hunc autem casum cæteris paribus præferendus est capitularis (7). Quæ verba cæteris paribus Sacra Congregatio in citata Neritonen, respondit, ita intelligenda esse, ut sufficiat, capitularem habere qualitates a S. Concilio requisitas, quod sit doctor, vel

(1) 17 Sept. 1768, *Vicarius capitul.* § Verum.

(2) 23 Feb. 1709, *Acernen*; 22 Sept. 1714, *Carinolen*; 14 Jan. 1736, *Leopolien*; 24 Nov. 1764, *Sorana*, etc.

(3) Cardinalis d'Andrea in voto cit.; Pignatelli consult. 34, tom. 8, n. 1 et 7; Bouix loco cit. n. VI; Hermes loco cit. fol. 121.

(4) Ita Lucius Ferraris, *Vicarius capit.* art. 1, n. 43; Barbosa de canonicis cap. 42, n. 54; Bouix loco cit. cap. XIV.

(5) Bouix loco cit. Hermes loco cit. § 2.

(6) Bouix et Hermes loco cit.

(7) S. C. C. 9 Sept. 1594, *Melphien*; et 24 Jul. 1643, *Neritonen*, apud Zamboni *Vicarius capit.* § 1, n. 5 et 16.

licentiatus in jure canonico, vel alias idoneus. Et modo capitularis has qualitates habeat, cæteris paribus præferendus est extraneo, etiamsi hic dignior sit (1).

Licet autem capitularis cæteris paribus præferendus sit, non est tamen de necessitate, ut vicarius eligatur de gremio capituli (2), sicut aliqui existimant (3), quia Concilium Tridentinum nihil de capitulari, neque de cive, neque de dicecesano eligendo vel indirecte præscribit; et externum eligendum etiam non improbat, dum de vicario generali confirmando facit mentionem, qui alienus a dioecesi esse potest (4).

VII. An parochus in vicarium capitularem eligi potest? Nulla lex generalis parochum excludit; indirecte tamen, ob legem nempe residentiæ, excluditur parochus ille, cuius parochia est extra civitatem Episcopalem. Generaliter etiam sunt officia non bene compatibilia (5). Attamen juxta decreta S. Congregationis Episc. (6) parochus in eadem civitate Episcopali, vicarius capitularis esse potest, modo, ut limitatur per S. Congregationem Concilii (7) concurrat paucitas numeri parochianorum, et vicinitas ecclesiæ parochialis cum ædibus Episcopalibus (8).

VIII. Nominatus, electus aut præsentatus ad Episcopatum a capitulo aut a principe civili, vicarius capitularis ejusdem sedis Episcopalis esse non potest, ut § sequente dicetur.

Nota, si in vicarium capitularem eligatur aliquis, qui qualitates requisitas non habet, electionem illam, non esse ipso facto irritam, nec actus ab ejusmodi vicario præstitos, invalidos; sed legitimi esse superioris, causa cognita, electionem infirmare (9), nisi tamen jus aliter statuat, ut in casu sequente.

(1) S. C. C. 14 Ap. 1764, § 2, *Tyb.* Zamboni tom. 4, *Vicarius capit.* § 1.

(2) S. R. C. 9 Sept. 1594, *Melphien.*

(3) Bouix p. V, sect. 1, cap. XII; Maupied jur. can. univ. compendium p. 3, lib. 4, s. 2, c. 3, q. 3, n. 1.

(4) Cardinalis de Luca Annot. disc. 31, n. 2; Cardinalis d'Andrea in voto cit.; Scarfantonius lib. IV, tit. VII, animadv. 34; Barbosa de canon. cap. 42, n. 37; Hermes cap. VI, § 1, n. II; De Angelis, *Prælect. jur. can.* lib. 1, tit. XXVIII, n. 19.

(5) S. C. C. 17 Jul. 1655, dub. 2, *Sulmonen*, apud Zamboni *Vicarius capitul.* § 1, n. 18.

(6) 19 Mart. et 19 Jul. 1619, *Ortonen*, apud Lucium Ferr. *Vicarius capitul.* art. 1, n. 41.

(7) 11 Jul. 1626, *Asten*, dub. 2, apud Zamboni *Vicarius capit.* § 1, n. 9.

(8) Lucius Ferraris loco cit. Barbosa de canon. cap. 42, n. 38; Hermes cap. VI, § 3; Bouix p. V, sect. 1, cap. XIII.

(9) Hermes loco cit. § 1, in fine; *Revue théol.* 1862, fol. 241.

§ 3. *Præsentatus, nominatus aut electus in Episcopum alicius dioecesis, non potest esse vicarius capitularis ejusdem Sedis Episcopalis.*

I. Præsentatus vel nominatus in Episcopum ab imperatore, rege aliave laica potestate, aut electus a capitulo, numquam in vicarium capitularem eligi potest juxta litteras Apostolicas SS. D. Pii IX, *Romanus Pontifex* quinto kalendas Septembri 1873, in quibus habentur ea quæ sequuntur: « Hac autem occasione declaramus » etiam, et decernimus ea, quæ a Gregorio X decessore Nostro in » Consilio Lugdunensi 2º de electis a capitulo, constituta sunt (1) » comprehendere etiam nominatos et præsentatos a supremis » publicarum rerum moderatoribus, sive imperatores sint, sive » reges, sive duces vel præsides, et quomodocumque nuncupen- » tur, qui ex S. Sedi concessione, seu privilegio, jure gaudent » nominandi, et præsentandi ad Sedes Episcopales in suis respec- » tivis ditionibus vacantes, abolentes idcirco, cassantes et penitus » annullantes usum, seu potius abusum sub quovis titulo, vel » prætenso et asserto privilegio, quæsito colore, et quacumque » causa, licet speciali et expressa mentione digna, in quibusdam » regnis seu regionibus præsertim longinquis inventum, quo capi- » tulum ecclesiæ cathedralis vacantis obsequens invitationi seu » mandato, licet verbis deprecatoriis concepto, supremæ civilis » potestatis concedere et transferre præsumit, ac de facto concedit » et transfert in nominatum et præsentatum ad eamdem ecclesiam » illius curam, regimen et administrationem, eamque nominatus » et præsentatus sub nomine provisoris, Vicarii generalis, aliove » nomine gerendam suscipit ante exhibitionem litterarum Aposto- » licarum, uti superius dictum est, de more faciendam, remoto » proinde Vicario capitulari, qui ex juris dispositione toto tempore » vacationis ecclesiæ eam administrare ac regere debet. Confir- » mantes autem alia etiam decessorum nostrorum et præsertim » sa: me: Pii VII Decreta et dispositiones, declaramus et decer- » nimus, ut si interea Vicarius capitularis decesserit, aut sponte » sua muneri renuntiaverit, aut ex alia causa officium ipsum legi- » time vacaverit, tunc capitulo, vel capitulo deficiente, qui » potestatem habet deputandi vacantis ecclesiæ administratorem,

(1) Cap. *Avaritiæ de Electione* in 6.